

3.
prisina, Minister teneatur ei explicare omnia fidei nos-
tra Mysteria, præsertim si est moribundus, quia hoc
perturbaret mentem illius? An non sufficeret, si mo-
ribundus promitteret fore ut, ubi è morbo convales-
ceret, instruendum se curet, ut in praxim redigat, quod
ei præscriptum fuerit?

RESOLUTIO.

Non sufficere promissionem, sed Missionarium tene-
ri adulto etiam moribundo, qui incapax omnino non
sit, explicare Mysteria fidei, quæ sunt necessaria ne-
cessitate medii; ut sunt præcipue Mysteria Trinitatis
& Incarnationis.

SEXTA DIFFICULTAS.

Quæritur an sit necessarium, ut ei explicetur Eu-
charistiæ mysterium?

RESOLUTIO.

Quoad adultos extrà mortis periculum, per se lo-
quendo teneri, nisi tale in contrarium urgeat moti-
vum, ut expediens prudenti Missionario judicetur dis-
latio post Baptismum.

Quoad moribundum pariter teneri, nisi vel tempus
non suppetat, vel tanta prævideatur in eo animi per-
turbatio, ut à susceprione Baptismi distrahere valeat.

SEPTIMA DIFFICULTAS.

Quæritur utrum Missionarius ita teneatur baptizan-
dum adultum ad contritionis, seu attritionis actum im-
pellere, ut omisso contritionis vel attritionis actu,
jure illum baptizare non possit, etiam si Missionarius
instrueret eum, tam ad eliciendum actum amoris Dei,
quàm actum resolutionis, seu propositi non reiterare
peccata commissa: multo facilius est Missionario, qui
discit linguam Barbarorum, instruere Barbaros, ut duos